



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

**Parisiis, 1644**

Conciliabvlvm Arianorvm In Caria.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15256**

CONCILIABVLVM ARIANORVM  
IN CARIA.

## NOTA.

Valens im-  
perator in  
gratiam v-  
xoris fidem  
mutat.

Valens imperator hæcenus catholicus, in procinctu Gothico propter Procopii tyrannidem anno imperii sui tertio, qui est Christi 366. feliciter debellatam, bono consilio salutarem baptismum expetens, vxoris Arianae blanditiis, pessimo consilio ad Arianos transierat, & ab Eudoxio Arianorum nequissimo baptizatus, ab eodem iuramento obstrictus fuerat, vt in impio suscepto dogmate perseueret, & diuersa sentientes vbique ecclesiis exigat. Cum itaque impulsu Eudoxii Constantinopolitani iniquo furore non tantum catholicos, sed etiam Nouatianos, Macedonianos & Semiarianos exagitaret & persequeretur, Arianeam occasionem captantes, nouas Synodos indicere & congregare coeperunt. De hoc eorumdem Conuenticulo hæc scribit Sozom. lib. 6. cap. 12. *Cum autem iam Concilium Tarsi cogeretur, circiter triginta quatuor episcopi Asiani in Caria, quæ est regio Asia, in vnum congregati, studium in ecclesia concordia stabilien- da positum probabant illi quidem, sed tamen vocabulum consubstantia- lis reuiciebant, constanterque affirmabant, formulam fidei Antiochia & Seleucia editam, tenendam esse: quippe quæ etiam a Luciano martyre ante edita habebatur, & non sine multorum tum periculorum, tum la- borum susceptione, ab his qui ipsos astate anteibant, confirmata. Impera- tor vero impulsu Eudoxii, Concilium, quod in Cilicia futurum specta- batur, partim literis, partim minis diremit. Vide Baronium anno 366. numero 25.*

CONCILIABVLVM ARIANORVM  
SINGEDIMINVM IN MYSIA.

## NOTA.

Tempus &  
locus Con-  
ciliabuli.

\* *Conciliabulum.* ] Anno Christi 366. Valens & Ursacius Ariano- rum hæces, vna cum collegis suæ perfidiæ, aduersus Semiarianos Singedimi in Mysia Conciliabulum habuerunt, quo Semiarianos ad formulam Ariminensem & Constantinopolitanam, qua Filius Patri tantum absolute similis esse dicitur, approbandam inducere tentarunt; atque in eum finem ad Germinium Semiarianum episto- lam ipsi scripserunt, ab eoque responsorias acceperunt. Vtramque apud Hilarii fragmenta extantem hic adiicere placuit.